Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1313
Quelle:
Copyright:

usque ad verba: *tantumque apud eos veritatis* &c. et dein *Libri* VI. *Capitib.* 3. et 4. integris et eleganter et ſatis recte deſcriptis.

DLXXXV.

U. 861 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 52. f. min. utinam tam emendate, quam eleganter perſcriptus, inter picturata frontis ornamenta Insignia regia *Corviniana* referens, dein vero ad *Job. Fabrum* Ep. *Vindob.* delatus inſcribitur: *Altividi De Inmortalitate Animae Liber Incipit.* Απογραφον *Mediceum*, qualia inter Codices *Corvinianos* non pauca ſunt, mox ſuſpicatus conſulto Cl. *Bandinii Catalogo* T. III. *Codd. Lat. col.* 254. *Plut.* LXXXIV. *Cod.* 24. *n.* 7. deprehendi Πρωτοτυπον, ſed ne illud quidem Sec. XV. vetuſtius, et in *Libros* V. diſtributum, quos ſignare neglexit *Corvini* amanuenſis diverſa Tractationis Capita literis grandibus caeruleis diſtinguere contentus. Init porro Tractatio: *Quadam die cum fraterno funere propinquo affluentior fletus incubuiſſet. isque ad ueſperum usque protelatus. iam riuulis oculorum fluxu largiori exauſtis. ſeſe* (ſibi?) *uehementiorem dolorem aſciſſet, utrumque ſolito grauior atque procliuior conſocius ſomnus ſecutus eſt.* Jamque hinc Portenta. Advehitur ab una parte *uir aſpectu uenerabilis* tribus elegantibus Juvenibus comitatus, quorum *primo altiuidus, ſecundo quidem conlibitus, tercio nimirum iramalus accedebant uocabula*, ab altera parte adequitat *homo medie quidem etatis cum frequenti ac laſciuienti ſtrepitu;* circumfunduntur Somniantis lectulo, et, quinam eſſent, quaerenti reſpondet Senex: *Ego quidem interioris, alius extetioris hominis uocabulo cenſeor.* Mox *Exterior Homo* orationem auſpicatur primum a commendatione ſcientiae ſuae, dein a laudibus Amicitiae, ubi enumeratis doctis Graecis et Latinis, quos nunquam uidimus, et tamen diligimus, addit: *Num, ut ad noſtri temporis uiros fiat orationis recurſus, gergelarius, albidus, conſtantius noſtre ſunt dilectionis expertes?* Quinam Viri hi docti, aut cujus aevi? Tota deinceps Oratio non ad eximendum Somnianti de Fratris amiſſione dolorem, ſed acrius potius infigendum comparata eſt. Igitur contra inſurgit *Senex*, ſive *Interior Homo*, Oratoremque refutat primum ipſe, tum: *Age itaque fili altiuide de immortalitate animorum ſermonem inſtitue.* Paret *Altividus* duplici diſputatione; prima quidem juſſum exequitur, reſumto dein ſermone penitius in Animae naturam deſcendit: *Primum igitur inquit ut opificis quam inquirimus ſimilitudo clarius expreſſiusque reperiatur in anima, conſiderandum occurrit, quid in ea inperetur, nec inperet. Deinde quid inperetur et inperet. tercio quid ſit quod inperet, nec ab alio inperetur.* Atque haec mox *Senſuale*, *Rationale* et *Intellectuale* compellat, et cum Animam ad *Opificis*, ut dixit, *ſimilitudinem* exigat, multus eſt in divina Natu-